Paczoski Pauli: Theoremata ex Cursu philosophico scientiae rationalis.

THEOREMATA

EX

CVRSV PHILOSOPHICO SCIENTIÆ RATIONALIS,

Ad mentem Angelici Doctoris D. Thomæ decerpta.

A

Fre. PAVLO PACZOSKI, S. Ordin. Cisterciēn. Conuentus Andreouiēn Profeſſo, Artium & Philoſophiæ Baccalaureo, in Alma Academia Cracou. publicè ad diſputandum in̄ AVGVSTO IAGELLONIANÆ Domus DD. Theolog: Lectorio

PROPOSITA.

Anno Domini, 1636. Menſe Nouembre.
Die 25 *Hora* 20

CRAC. Typis Matthiæ Andreouiēn.



Solea ferratis quod formidabilis vncis
Dura pharetrati deprimo colla Getæ.
Arceo Bistonios patrijs quod finibus hostes
Ardua; nec timidis gressibus alta peto.
Quod pietate Deum sacris redimita tiaris
Placo, quod in patriæ commoda tota feror.
Non mea ferratis vis formidabilis vncis
Hæc facit, at mecum Crux veneranda facit.



Illustrißimo ac Reuerendißimo Dño,

DOMINO REMIGIO à KONIECPOLE KONIECPOLSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia EPISCOPO CHELMENSI, Abbatiæ Andreouiensis perpetuo ADMINISTRATORI, Dño D. ac Mæcenati Ampliss.



ONIS Reipublicæ Romanæ temporibus Illustriß: Domine, Cato vir morum grauitate, summaq; Censoriæ potestatis & prudentiæ laude cõmendatißimus, diligenter suis inculcabat Ciuibus, semper operis aliquid in manus sumerent, quod citò laboris molestia transiret, verùm memoria præclarè actorum æternùm duratura esset. Vox Laconica quidem, at mirum quàm ad persuadendum efficax, animum quoq; meum incitauit, vt quicquid à me in præsenti in celeberrima Academia Craco uien. publico certamini proponitur, sine amplißmo Illustrißimæ C. V. patrocinio non defendatur. Lætor namq; vel maximè exoptatum tempus aduenisse, quo cum submissa deuoti animi propẽsione planũ faciam tantò iustiùs Illrmæ C. V. hæc à me offerri, quantò libẽtiùs recognosco beneficentiã Illmæ C. V. conatus meos fratrisque mei in primis ad maiorem Diuinæ laudis accesionem, & familiæ nostræ Religiosæ ornamentum promoueri.

moueri. Teneant necesse est ac deuinciant totum animum, tanta beneficia, quibus clientes à Patronis in loco studiorum publico, vt nos à te Illustr. D. in Academia Iagelloniana, ad optimas artes bono cōmuni fouendo excolendas formamur, & perficimur. Contentionis nostræ literariæ, vel hæc ipsa quæ à me nunc I. C. V. porriguntur Erothemata argumentum sunto. Manipulus iste sit licet primo aspectu exiguus at robore ac firmitate veritatis, neq; triario cedit militi, neq; minacem vllam ex aduerso reformidat impreßionem. Quid ita? Sunt enim hæc Erothemata Sancto suo Doctore D. Thoma Aquinate non indigna, sunt quasi intima rationem humanam excolentis Philosophiæ oracula; sunt illius luminis & firmamenti Ecclesiæ pignora carißima, quæ vel ab eo facilè vel ipse ab eis planè cognoscatur. Quid quod sunt merces animi præstantes Scholæ in Academia Cracouien. perangustâ, à Magno Vladislao æternùm fama & prædicatione duraturo tantâ beneficentia excitatæ, & vtilitati communi amplificandæ Diuino planè viri tanti consilio erectæ. Istius facti gloriosi, vir tantus geminum fructum consecutus Dei fruitionem sempiternam & memoriam posteritatis æuiternam. Ducentur hoc itinere gressu non infelici ingenia sapientiæ ac veritatis amore inflammata etiam ad supernam felicitatem ex admiratione pulchritudinis vniuersi expetendam. Isti viæ quando ego in præsenti libens insisto, & veritatis abditioris normas non peruulgatas accuratiùs consector, quibus eruendis ex tenebris, & in luce constituendis, tanto labore tot sæculis insudatum; easdē ex fontibus veritatis depromptas reuerentißimè exosculatus, animi quâ par est submißione Illustriß: Celsit. V. porrigo. Hoc Tu Illustriß. Dn̄e animi deuoti munus vultu benigno & sereno accipies, cùm hîc nullæ contortæ lateant Diodori, aut Stilbonis conclusiunculæ imò clara & perpetua eluceant magni in Ecclesia Dei doctrinæ cū pietate assertoris documenta. Quo me suis precibus apud Diuinā Maiestatē adiuuante, vnaq; patrocinio I. C. V. & nominis amplitudine suffragante,

& actui

& actui proposito pro mediocritate responsurum, & ab eiusmodi exercitiis sæpius instructo emolumentis olim Diuinæ laudis & Ecclesiæ sanctæ propagandis vtiliorem futurum confido. Sed quantumcunque inde boni promanaturum sit, meritò in Illustriß. C. V. vt in fontem suum redundabit, à quo istius benignitatis riuulos deduci & deriuari recognoscimus. Faxit suprema & infinita Maiestas Diuina, vt vel peculiaria hæc cultus sui & pietatis promouendæ studia, vel eximia in bonum patriæ & Rempub. promerita, vel cogitationes istæ tàm sollicitæ & efficaces, quibus religiosa familia nostra vt aquilæ iuuentus reflorüit, vberiorem & hîc in vita mortali ampliorum honorum mercedem; & serò tandem quod maximè optamus at certò felicitatem immortalem consequantur.

Illustrißimæ ac Reuerendiß. Celsitud. V.

Deditißimus ac humillimus
Cliens, & exorator

Fr. Paulus Paczoski S. Ord. Cistercien.
Conu. Andreouien. Profeß.

Mihi certè nunquam ſtatutum animò fuit
mea dogmata pertinaciter tueri. Quanquam
enim multi id non facere videntur, & ſententiam
cum qua ſenuerunt, mutare erubeſcunt, id ta-
men ego à Philoſophia alieniſſimum eſſe arbi-
tror; ſiquidem veri Philoſophi munus eſt, ſemper
rationi parere, & veritatem non ſolùm mente,
ſed etiam ore confiteri.

Iacob. Zabarella 1. *Apol: C*. 1.

Per omnes partes ſapientiæ manat & funditur
quæ rem definit, genera diſpertit, ſequentia ad-
iungit, perfecta concludit, vera & falſa diiudi-
cat diſſerendi ratio & ſcientia. Ex qua cum ſum-
ma vtilitas exiſtit ad res ponderandas; tum ma-
ximè ingenua delectatio, & digna ſapiente.

Cicero 5. *Tuſcul.*

THEO-

THEOREMATA LOGICA.

De Philoſophia in Communi.

Ognitionem rerum vt ſunt, dari contra Cratyllum & Heraclitum aſſerimus. Illius habitui à Socrate Philoſophiæ nomen iure impoſitum: atq; hunc genericè vnum ab Ariſtot: 6. Metaph. in Speculatiuum & Practicum adæquatè diuiſum. Speculatiuo contineri Logicam, Mathematicam, Phyſicam, & Metaphyſicam. Practico autem morum doctrinam, in Ethicam, Politicam, & Oeconomicam diſtributam.

De Logicæ conſtitutione.

2. Neceſsitas Logicæ ad alias ſcientias plurimum facit. Ea vt eſt docens eſt verè ſcientia, etiam ſpeculatiua, quæ circa Ens rationis quatenus operationum eſt directiuum negotiatur, tanquam adæquatum obiectum, à quo vnitatem ſpecificam recipit. Illius finis proximus eſt cognitio ſui obiecti, remotus autem diſpoſitio in intellectu ad omnium ſcientiarum veritates perfectè cognoſcendas relicta. Neq; conſtituit habitum realiter diſtinctum à Logica vtente, cuius eſt ad eliciendos aſſenſus probabiles concurrere, qui in ordine ad Logicam docentem appellantur actus ſecundarii.

De Natura Entis Rationis.

3. Nomine Entis rationis licèt ſignificantur aliquando Formæ intellectui inhærentes, aliquando effectus, nonnunquam res intelligibilibus ſpeciebus repræſentatæ: attamen illa quæ nonniſi eſſe

obiectiuum

obiectiuum in intellectu habent, Entis rationis nomine importantur. Horum diuisio celebris est in negationes, priuationes, & relationes. Priuationibus aliquod fundamentum in rebus dari nihil vetat: secus negationibus. Obiectum Logicæ relationibus continetur atque magis distinctè secunda intentione exprimitur, cui ratio fundandi est denominatio extrinseca ab intellectu cognoscente, per quam ab intentionibus secundis Grãmaticæ atq; Rhetoricæ distinguitur in denominatione extrinseca à voluntate significationem imponente, immediatè fundatis. Et quamuis reflexiuè ab intellectu cognoscatur specie distincta cum ordine ad intentionem primam, non tamen proprietatibus demonstrabilibus destituitur: Intellectum sui fabricatorem, non autem aliquem ex sensibus recognoscit.

De vniuersalibus in Communi.

4. Prædicari, per quod Logica vniuersalia definiuntur, conuenit naturæ vt Quod, Vniuersali autem siue intentioni secundæ vt Quo, non autem aggregato ex intentione & natura, neq; intentioni naturam cõnotanti, vel è contra. Naturæ ab intentione secunda denominatæ à parte rei vnitas realis fundamentalis correspondet, formalis autem est ab intellectu illam repræsentante. Natura secundùm se accepta sicut à statu quem habet in re & in intellectu abstrahit, ita & ab vnitate. Aptitudo essendi in pluribus naturæ competit quatenus ab intellectu repræsentatur. Quando asserunt Philosophi Definitionẽ vniuersalis per prædicari, esse quidditatiuam; prædicabilitatem radicaliter sumunt, formaliter enim prædicabilitas accepta vniuersalis Logici est proprietas. Vniuersalia Logica duntaxat sunt Quinque. Indiuiduum enim non ingreditur illorum ordinem, sed se habet proportionabiliter atque vnitas ad species numeri.

De vni-

5. Genus quod primum inter vniuerſalia ſibi locum vendicat. differentias per quas diuiditur potentiâ continet, cùm de ſpeciebus prædicatur in recto. Habet ſe vt totum, quam prædicationem reſpuit, quatenus ad ſpeciem conſtituendam cum differentia concurrit. Genus in ſubſtantiis corporeis ſumitur â materia,à qua cum Intelligentię ſint immunes in illis genus ab eo in quo omnes conueniunt, eſt deſumendum. Cæterum accidentium genera ex varia habitudine ad ſubſtantiam.

9. Speciei natura conſtituitur per prædicari de pluribus numero differentibus in Quid. Eius diuiſio recta eſt in ſubalternam & infimam.

7. Diuiſio differeniiæ in communem, propriam,propriiſsimam, eſt Analoga, pro vario munere, varias ſortita eſt definitiones, ſub illam quæ prædicari dicitur de pluribus ſpecie differentibus, non cadit vltima ſpecifica, tamen per hoc non expungitur. Tàm hæc quàm ſubalterna per habitudinem ad inferiora conſtituitur.

8. Proprii natura eſt ſoli omni & ſemper ſpeciei conuenire, ex cuius effluit principiis. Dicitur vniuerſale in ordine ad inferiora.

9. Accidens per ordinem ad ſubiecta, quæ ab illo contingenter denominantur in ratione vniuerſalis conſtitui, definitio ſua probat. Rectè per ſeparabile & inſeparabile diuiſum eſt, primò competit indiuiduis, vt proprium ſpeciei.

Antepr æ dicamenta.

10. Vniuoca dicuntur. quorum nomen cõmune eſt & ratio ſubſtantiæ ſecundùm nomen eſt eadem. Æquiuocorum nomen commune ratio naturæ diuerſa. Denominatiua ſecundùm idem nomen habent appellationem ita vt ſolo caſu differant.

11. Voces vel ſunt incomplexæ, vel complexæ. Res aliæ ſunt ſubſtantiæ, aliæ accidentis. Subſtantia vel eſt vniuerſalis, vel ſingularis, pariter Accidens, aut vniuerſale, aut ſingulare. Accidentis natura nunquam commodiùs explicari potuit quàm cum ita dicitur eſſe in ſubiecto, vt cum in illo ſit non ſicut quædam pars impoſsibile eſt, ſine eo eſſe in quo eſt.

12. Duæ Regulæ Anteprædicamentales ſunt notiſsimæ: Prima, Quando alterum de altero prædicatur tanquam de ſuo proprio ſubiecto, tunc quicquid conuenit prædicato, conuenit etiam ſubiecto. Secunda. Diuerſorum generum & nō ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt ſpecie differentiæ. Hæc Ariſtotelica, imò veritatis ipſius oracula in doctrina Antepræ dicamentorum.

Categoriæ Ariſtotelis.

13. Logica non mittit falcem in alienam meſſem, etiamſi Categorias conſiderat, eas namq; ſub vexillo intentionum ſuarum tàm diu militare cogit, quàm diu Metaphyſica, quæ iubet partes Entis eſſe Cataphractorum eis armaturam non tribuit. Denarius Categoriarũ numerus à Philoſopho ſic colligitur. Quæ ſecundùm nullam complexionem dicuntur, vnum quodq; aut Subſtantiam ſignificat, aut Quantitatem, aut Qualitatẽ, aut Ad aliquid, aut Vbi, aut Quando, aut ſitum eſſe, aut habere, aut facere, aut pati. Hem farraginẽ rerum omnium tantillo compendio inuolutam! ſed quia in breuitate obſcuritas ineſt euoluenda eſt.

14. Subſtantia quæ propriè principaliter & maximè dicitur, eſt quæ neq; de ſubiecto dicitur, neq; in ſubiecto eſt, vt Petrus. Secũdæ ſubſtantiæ dicuntur Species & Genera, in quibus inſunt primæ. Ratio ſubſtantiæ non per hoc quod negatur eſſe in alio conſtituitur, ſed quia per ſe eſt ſeu exiſtit. Proprietates habet, non eſſe in ſubiecto, vniuocè prædicari, non habere contrarium: non ſuſcipere

magis eſt

magis & minus, suscipere contraria successiuè. vltima consultò hîc reseruata vt explicetur: quæ est; Prima substantia significat hoc aliquid, secunda quale quid, quatenus nimirum prædicati vicem subit ratione primæ videtur esse Qualitas, cùm sit vt forma ratione materiæ subiecti singularis. Ens summum infinitum reponi in substantia vetat summa illius essentiæ simplicitas, nulli enim in ea conceptus generis & differentiæ locum habent. Entia substantialia completa per se in substantia collocantur, incompleta reductiuè. Concreta per se, abstracta reductiuè.

15. Quantitas cùm sit accidens reale, non est idem realiter cum substantia. Species habet continuas vel discretas, permanentes, vel successiuas, vt sunt, linea quæ longum, superficies quæ latum, corpus quod profundum absoluunt, & magnitudinem continuāt, cuius principium est punctus, vt numeri vnitas, & orationis syllabarum distinctæ prolationes, in discretis locus & motus, huc verè non spectant esto Tempus pertineat. Vnitas Prædicamētalis addit aliquid reale positiuum incompletum ad Quantitatem continuam, prout illam indiuisibiliter consequitur, quæ Entitas incompleta respondet proportione puncto quod est magnitudinis, nisi quod hic dicat situm, illa non. Esse sine contrario, magis & minus excludere, dare æqualitatem rebus vel inæqualitatem Quanti sunt affectiones, at ratio formalis extensio quam radicaliter diuisibilitas & mensura consequuntur.

16. Relatio Categorica est nec à subiecto multò minus à termino absoluta, vnde sortita nomen. Esse illius minutum nec tamen non reale etiam quo ad esse Ad per quod formaliter constituitur: Nam esse In ei familiare cum accidentibus quibuslibet. Quo refer omnem relationem creatam, secundùm esse, mutuam, quæ decreto Philosophi, triplex fundamentum habet, vnitatem & numerum, actionem & passionem, mensuram & mensurabile. Relatio

requirit ſubiectum, fundamentum, rationem fundandi, terminum correlatiuum realiter exiſtentem. Ex quo Relatio terminatur ad reſpectiuum. Afficitur contrarietate tum & intenſione ratione fundamenti alias affectiones pro ſuis recognoſcit.

17. Secundùm Qualitatem res dici quales in confeſſo eſt, prout Ens completum ſubſtantiale à forma accidentali diſponitur ac determinatur. Quatuor ſpecies, tres proprietates habet. Habitus à Diſpoſitione ſpecie diſtinguitur.

18. Sex reliquis Prædicamentis non relatio extrinſecus adueniens, ſed forma intrinſeca in ſubiecto ab extrinſeco relicta tribuenda eſt, eadem ſecundariò dicunt ordinem ſecundùm dici, vt patet in definitionibus ſingulorum.

19. Poſtprædicamenta vſui ſunt in ambiguis diſtinguendis, quæ cum in communi ad vnum genus non poſſunt reuocari hîc acceptiones illorum explicantur, quibus doctrina Prædicamentalis completur, & ſunt Oppoſitio, Prius, Simul, Motus, & Habere.

Ex Libris de Interpretatione.

20. Nomen & Verbum ſunt principia orationis Logicæ Incomplexa, quorum materia ſunt ipſæ voces, forma ſignificatio. Ac nomen quidem eſt vox ſignificatiua ad placitum ſine tempore, cuius nulla pars ſeparatim ſignificat. Porrò verbum eſt vox ſignificatiua cum tempore, cuius nulla pars ſeparatim ſignificat, & ſemper eſt eorum, quæ de altero dicuntur nota. Horum complexum eſt oratio quæ in communi conſiderata eſt vox ad placitum ſignificatiua, cuius pars ſeparata aliquid ſignificat.

21. Ex dictis ſignorum neceſsitas colligitur, quorum alia ſunt naturalia, alia ex inſtituto & placito, quibus hîc locus eſt, idque loquendo de ſignis inſtrumentalibus. Nam ſignum formale contra hæc diſtinguitur, quando ipſum ſimul cum re innoteſcit quam ſignificat. Eſt

ficat. Eſt autem ſignum quod præter cognitionem ſui ducit nos in cognitionem ſignati.

22. Oratio Logica enunciatiua perfecta illa dicitur quæ verum vel falſum ſignificat, quam ſi conſideres ſecundùm principia vocis & ſignificationis, totius eſſentialis: ſi ſecundùm partes integrantes totius integralis: ſi ſecundùm partes ſubiectiuas, totius potentialis appellationem promeretur. Non enunciatiuã, quæ diſtribuitur in imperatiuam, deprecatiuam, intertogatiuam, vocatiuam, &c. Logici Grammaticis concedunt.

23. Vnum de alio enunciare eſt ratio ſub quam omnis enunciatio cadit, nam quod eadem deſcribitur per hoc quod verum vel falſum ſignificet paſsio eius eſt quod de altero aliquid enunciatur: in quo ſubiectum vt materia copula cum prædicato Formæ loco habetur, nec plures terminos oratio Enunciatiua ſimplex requirit. Verùm conſurgit ex conformitate intellectus ad rem in intellectu cõponente ac diuidente.

24. Species Enũciationis hinc patent. Si rei ſubſtantia attenditur in Categoricam, & Hypoteticam, & hæc in Conditionalem, Copulatiuam, Diſiunctiuam, diſtribuitur, vt quoddam vniuocum ſumpta affirmatiuam, & negatiuam includit. Ratione Quantitatis eſt vniuerſalis, Particularis, Indefinita, Singularis. Ratione Qualitatis in veram & falſam, abſolutam & modalem, Finitam, Infinitam diuiditur. Quo affirmatiua & negatiua reuocantur, ſi qualitas latius prout dicit modum ſignificandi eſſentialem ſumatur. Demum ratione materiæ in naturalem, contingentem, remotam.

25. Oppoſitio Enunciationum conſurgit ex mutua combinatione duarum propoſitionum contrariè, ſubcontrariè, ſubalternè, & contradictoriè pugnantium. Æquipollentia in conuenientia ſignificationis perſpicitur. Conuerſio eſt, quando reciproca fit mutatio terminorum. Atq; tot ſunt proprietates Enunciationis, quatenus confertur vna cum alia.

26. Enunciationes contrariæ in nulla materia possunt esse simul veræ, vt nec subcontrariæ falsæ, esto in materia contingenti duæ simul veræ sint; non tamen simul falsæ. Subalternæ subalternantes sequuntur quo ad veritatem & falsitatem. Duas contradictorias in nulla materia esse veras aut falsas simul, principium est. At Enunciationes de futuro contingenti singulari cum in causis lateant, quæ se habent ad vtrumlibet indeterminatè vt voluntas humana, determinatam scientiam non pariunt, quæ tantùm est actu existentium.

27. Quia veritas latè sumpta etiã in prima apprehensione reperitur, illi verò vt sciendi instrumenta Definitio, & Diuisio inseruiunt vtriusq; natura per hoc innotescit. Quia vt Definitonis munus est naturam definiti essentialiter vel descriptione clariorem reddere; ita Diuisionis proprium diuisum generis in partes subiectiuas, totius in partes, vel essentiales, vel integrales, subiecti in accidentia, accidentis in subiecta partiendo ambiguitatem confusi remouere.

Ex Libris vtriusq; Analyseos.

28. Syllogismus Græcis est ratiocinatio seu discursus Latinis, tertiam operationem intellectus perficiens, cum sit ens rationis artificiale ex vna vel duabus præmissis, aliud verum per formam illatiuam Ergo inferens, atq; hoc pacto ex vna vel duplici enunciatiua veritate, & alia illatiua cognitio discursiua integratur. Vnde discursu aliquid inuestigare est, quasi aliud ex alio inferendo ad eius de quo dubitabatur notitiam peruenire.

29. Definitio Syllogismi Aristotelica recepta est, maximè quod sit oratio, in qua quibusdam positis & concessis, aliud quidpiam sequitur, eò quòd hæc posita sunt: principia eius materialia remota termini Categorematici, proxima Enunciatiua veritas, Formalia Figuræ cum modis in quibus diuersæ combinationes proximè ad formationem Syllogismorum faciunt.

30. Tres

30. Tres distinctæ specie Figuræ Syllogismo conficiendo sufficienter assignantur, quæ secundum diuersam terminorum collocationem constituuntur, quartam cum nihil noui adferat, expungimus.

31. Tantùm celebre dictum Philosophi omnem doctrinam & disciplinam fieri ex præexistenti cognitione de notitia rerum discursiua procedit: quæ cum talis sit præcognitiones præsupponit. Quã do per An sit existentia subiecti inuestigatur; quod si de principiis an sit quæritur, veritas non existentia eorum attenditur. Etiam Quid sit de subiecto præcognoscitur, quando causa Demonstrationis est subiecti Definitio. Passio quæ subiecto inest, duntaxat quo ad Quid nominis præcognoscenda est, nam existere eius & quid rei demonstratur. Per Quia causa connexionis prædicati ad subiectum quæritur. Sed cum Quia est ad an sit reuocatur duæ sunt præcognitiones, An sit & Quid est, & tria præcognita subiectum, principia, Passio.

32. Bina Definitio Demonstrationis vtraq; bona, quæ tamen plenior est eadem melior, hæc est Quod sit oratio collecta ex præmissis veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, & causis conclusionis. Posterior ad hanc digitum intendit cum Demonstratio scire facere dicitur.

33. Sequitur autem cùm ex talibus causis sequatur Demonstratio scientifica illam esse necessariam, cuius necessitatis ampliora præsidia sortitur ex tribus conditionibus, quæ præmissis suis conueniunt, vt sint de Omni idque secundùm de omni posterioristicum quod vniuersalitaté temporis subiecti & omnium quæ sub illo continentur includit, item sint iuxta modos præsertim duos priores perseitatis, item sint secundùm quod ipsum, hoc est vniuersaliter conuertibiles terminos habeant. Hinc omne prædicatum per se, est de omni non viceuersa, & omne vniuersale est per se non viceuersa.

34. Species adæquatè Demonstrationem diuidentes duas esse,

alteram Propter quid, dictam sic quòd non solùm passionem probet de subiecto, sed etiam propter quid illi insit demonstrat: alteram, Quia est, quæ saltem docet scire hoc ita esse, v. g. stellas non scintillantes esse propè nos.

35. Medium Demonstrationis potissimæ non est Definitio Passionis primi termini, quin verius est ipsa subiecti definitio. Circulo in Demonstrationibus locus non est, regressui vtcunq; esse potest, cùm à notioribus nobis ad notiora naturâ libenter humana infirmitas progrediatur.

36. Est aliquid & magni quidem momenti in quo tantùm bonus demonstrator sudat, est aliquid in quod ille totum Demonstrationis apparatum dirigit: At quid illud tandem est? Scientia bona, expetenda, æterna; incorruptilis, immutabilis, ex tenebris in apertum diuersos habitus scientificos producens, prout illi rationes formales obiectorum diuersorum suppeditantur. Ab eadem certam vnius habitus perfectionem ab eo obtineri, quòd in potentia tantùm ad illam erat priusquam perficeretur dogma est generale & verissimum. Nam cum potentiarum naturœ indeterminatio; maximam propè imperfectionem nostram euidenter adstruit (quam verum & speculationũ ignari ad oculum præseferunt) istius mali nullum est præsentius & communius antydotum; atq; est ista quâ exoptato perficimur habituũ diuersitas; quam si non plenè comprehendimus, sed vtcunq; apprehẽdimus & distinguere nouimus inter infeliciores qui nihil istorum in vita attigerunt; non adeò sumus infelices. Cùm igitur Scientia sit Habituum intellectus ad intelligendum in potentia existentis; ab aliis duobus Habitibus speculatiuis sapientiâ nimirum qui est Habitus causarum altissimarum & cõmunissimarum, & Intellectu qui Habitus est principiorum distinctus realiter: iure optimo ipsa dicitur esse Habitus Conclusionum ex veris & necessariis principiis deductarum. Hic ergo Habitus se extendit sub

dit sub

dit ſub vno certo obiecto ad cognitionem rei per cauſam cognoſcibilis per quam res talis conſtituta eſt.

37. Subalternatio ſcientiarum alia eſt à ſubordinatione earundem. Nam Politicæ in Ciuitate ſubordinata omnia; Et magis primo Enti omne Ens creatum. Ratio tamen propriæ ſubalternationis eſt, cùm paſsiones ſubalternatæ probantur per principia ſubalternantis & obiectum illius dependet ab obiecto iſtius.

38. Habitum primorum principiorum à ſcientia diſtingui, & qualitatem eſſe ſuperadditam potentiæ; ope intellectus agentis ſufficienter produci ſolitam tenemus. Vnum Habitum vnam eſſe Qualitatem ſimplicem ſub ratione obiecti ſub Qua ſpecificatam tuemur, Tàm quo ad Habitus quàm quo ad actus, Scientiam, Opinionem. Fidem in eodem intellectu, de eodem ſubiecto, eodem tempore incompoſsibilia eſſe non inficiamur.

39. Notum eſt non paſsim in ſcientiis Demonſtrationes obuias eſſe, idcirco vſus eſt frequens Syllogiſmi in veriſimilibus conſtituendis occupati; diſtinctus hic eſt à Litigioſo, multò magis à Sophiſtico, & infeſtis Sophiſmatum tàm in dictione quàm extra dictionē ſcopulis, quibus impenſiùs detineri labor non grauis eſt, nec ingenii maturioris contentio.

PROBLEMATICA QVÆSITA
in gratiam varia expetentium.

I. *Vtrum præſtet vnam tota vita artem operosè conſectari, an ſingulas mediocriter deguſtare.*

II. *V. præceptis an exemplis faciliùs informamur.*

III. *V. Reſpub. ſine literis ſalua conſiſteret.*

IV. *V. inter vitæ mala nihil ſit peius inteſtinis periculis.*

V. *V. ſeruitus obſiſtat animi actibus.*

VI. *V. amicus importunus sit continua febricula.*

VII. *V. facilè sit eum inuenire, qui quod sciat alteri non communicet.*

VIII. *V. nouis erumpentibus vitiis nouis opus sit legibus & consiliis.*

IX. *V. vir bonus vllis periculi terroribus ab officio & amore patriæ desistere debeat.*

X. *V. æque desertores & proditores patriæ vitupemndi sunt. Cic: 3. Tusc. vt enim leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt, sic vir bonus, & sapiens, & legibus parens, & Ciuilis officij non ignarus, vtilitati omnium plus quàm vnius alicuius aut suæ consulit. Nec magis vitupemndus est proditor patriæ, quàm communis vtilitatis ac salutis desertor propter suam vtilitatem aut salutem. Ex quo fit, vt laudandus sit is, qui mortem oppetat pro Repub. quod doceat chariorem nobis esse patriam quàm nosmetipsos.*

XI. *V. omne fucatum tractu temporis innotescit.*

XII. *V. si concedatur illud data magnitudine dari maiorem, inferri possit cælum augeri posse non aliter quàm sua Luna augetur.* ℞. *Non sequitur ex imaginatione Geometrica rem naturalem accretione vel diminutione agitari. Lunæ quoq; lumen accessu recessuq; à sede plus minusue variatur. Hinc ineptè dicitur, Lunam esse villicum Soli Domino humores è terra genitrice & Oceano pro alimonia præparantem.*

XIII. *An Circularia eminùs mota stare videntur.*

EOEUATAMRUDGLSH OPAAIO ULCETTFUT

CRUCE ECRC

NS AMMEGSULUMUTMU VMTUMULUS GEMMA NS

ET ET

O O

DO Res noua! jam redivivus adest; quem totus humârat DO

MOR Orbis, & ad Lechi rostra locatus, ouat. MOR

TV REM SPIRO PERENEMENEREPORIPSMER. TV

A Desine mirari, bona nam flaccescere Nardus A

PREN Nescit, at oppressam, Solea, Cruxq; leuat. NERP

DOORBICORPORAVIVADE OED AVIV AROPROC IBRO OD

A Fre. Emerico Zaiączovvski eiusdem Monast.
Profes. boni ominis ergò positum.



Sub auspicatis velis & Zephyris Magnifici
& Admodum Rndi Domini,

D. ADAMI OPATOVII, S. Th. Doct.
& Profess. ad Ecclesiam Coll. S. ANNÆ Decani,
Vniuersitatis Cracouiensis
GENERALIS RECTORIS.

M. IOACHIMO SPERONOWIC Collega Min.
Vladislauiani tum Cursus Profess. aduertēte.

